



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. CCC. De Depopulatione territorii Pogrande.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

CAP. CCXCIX.

De

Vastatione Sambiensis & Nattangia terrarum.

AN. Domini MCCCXI. in Carnis privio Vichenus Rex Lethovia cum maximo exercitu Sambiam & Nattangiam incendio & rapina vexavit, multos homines occidit & ferè quingentos cum magno spolio secum duxit, non tamen sine strage suorum, quia multi de populo suo qui ab exercitu se elongaverant sunt occisi.

An. Domini MCCCXI. in Epiphania eius Henricus Rex Romanorum apud Mediolanum Coronâ ferreâ coronatur.

Hoc etiam anno Tartaricum Armenis & Gorgianis venerunt in Siriam & Palestinam, & fugato Soldano ultra X. millia equitum occiderunt.

An. Dn. (a) MCCCXI. XI. Kalend. April. tempore Henrici VII. Imperatoris Ordo Templariorum à Clemente V. Papa (b) non per sententiam definitam, sed per provisionem sedis Apostolica condemnatur in Concilio Viennensi, qui fundatus fuit Anno Domini MCXII. sub Pascali Papa II. & Henrico V. Imperatore.

Hoc anno Henricus VII. Rex Romanorum in Ecclesia Lateranensi Rome in Imperatorem coronatur à depositione Friderici Imperatoris secundi anno LXII.

ANIMADVERSIONES.

(a) Jerofchinus habet anno 1312.

(b) Jerofchinus sic interpretatur: Nicht umb überwundene Schuld sondern durch sein Ungedult.

CAPUT CCC.

De

Depopulatione territorii Pogrande.

STatim post recessum Regis & exercitus sui Fr. Fridericus de Wildenberg Commendator de Kunnigsberg cum magno exer-

exercitu incedens per eandem viam, per quam dictus Rex præcesserat, venit illo tempore, quo homines dicti exercitus fuerunt ad propria reversi, & post fatigationem itineris quiescerent, gratias Diis suis referentes de beneficiis sibi exhibitis in hoc bello, & intravit territorium (a) Pograude & magnam stragem fecit in populo, occidendo & rapiendo, adeò destruxit hoc territorium, quod infra multos annos non potuit resumere vires primas.

ANIMADVERSI O.

(a) Pograudienses in Samogitia agri. Cojalow. p. 436.

CAP. CCCL.

De

Vastatione territorii Castri Garthe.

Eodem tempore frater Otto de Pergo & V. fratres cum cccc. Equitibus de Nattangia ierunt versus Castrum Gartham & cum venissent ad paludem cujus fluvius dicitur (a) Biber, ductores exercitus sui duobus diebus erraverunt in via, quod factum fuit ex Providentia DEI, quia homines de exercitu Regis supra dicto adhuc non erant ad propria reversi. Unde transactis his diebus & reversis his Lethovvinis fratres intraverunt territorium Garthe, occidentes & capientes multos homines, & dum cum magno spolio redirent occurrerunt eis quidam Lethovvini, qui lassii substiterant de sæpe dicto exercitu Regis quorum duos etiam occiderunt.

ANIMADVERSI O.

(a) Bieber fl. R. 13. entspringt bey Toltzdorff darnach gränket es das Fürstenthumb von Bischoffthums Heilsberg salt bey Braußberg in die Pafseige Henneb. de flum. pag. 8.

Aaa

CAP.